

cimus, quod si alter nondum sit determinatus, et firmatus ad faciendum malum, non licet, quia est inductio ad peccatum inclinando animum alterius ad ipsum; et præsertim hoc non licet, quando est in damnum, et præjudicium tertii. Si autem alter sit firmiter determinatus ad faciendum aliquod ex his malis, vel ad faciendum majus malum, tunc multi dicunt id licere saltem sub conditione, quia tunc per se non influit in minus malum, sed revocatur a majori. Quare sic debet intelligi ista sententia, quod in illo casu est licitum consulere illud minus malum, non positive inclinando, et influendo in illud ut fiat; sic enim urget valide argumentum, quia ille qui eligit tale minus malum, etiam relinquendo, seu nolendo majus, peccat; ergo et ille qui consulit, si

eo modo consulit, quod ille eligit, id est, positive ad id inclinando. Solum ergo consulens potest negative, aut permissive se habere erga minus malum, scilicet deterrendo a majori malo, et tolerando, aut permittendo, vel omittendo minus, verbi gratia, si quis dicat: Volo firmiter occidere Petrum, volo te occidere, aut pecuniam tollere, possum dicere: Ne interimas, quia est magnum malum, de minori autem, vel tacere, vel solum dicere, quod est minus malum, aut loqui conditionaliter, si hoc non esset malum, tolerabile esset, aut aliquid simile; et latroni offerre possum pecuniam ne me occidat, quia hoc non pertinet ad consilium de furando, sed ad tolerantiam, et permissionem, ut redimam vexationem meam.

QUÆSTIO XVI.

DE USU.

SUMMA LITTERÆ.

Usus, et uti dicuntur correlative ad utile. Utile autem proprie dicitur de medio in ordine ad finem. Et tunc utimur, seu habemus aliquid in usu, quando illud in servitio, et exercitio applicamus ad aliquid faciendum, aut consequendum. Et ideo usus maxime pertinet ad ordinem executionis in his, quæ ordinantur circa finem, quamvis etiam in lata significatione, quamcumque applicationem voluntatis ad aliquid possit significare.

Igitur in articulo primo ostendit D. Thomas usum, seu uti esse actum voluntatis, quia importat applicationem alicujus rei ad operationem, seu exercitium aliquod, et sic supponit ex parte intellectus directionem ordinativam ad id, ad quod exercitium ordinatur, formaliter vero exercetur, et consummatur in ipsa applicatione rei ad talem usum, applicare autem cum tali ordinatione proprium est voluntatis.

In secundo articulo ostendit, non inveniri in brutis hujusmodi actum, qui est uti, quia bruta applicant suas potentias ad usum, et exercitium instinctu naturæ, non arbitrio, et ordinatione unius ad aliud, quod proprie est uti, uti enim respicit utile, et hoc sumitur per ordinem ad finem.

In tertio articulo ostendit, quod uti non versatur circa ultimum finem, quia uti est circa utile, quatenus applicatur in ordine ad aliud. Utile autem non est finis, sed id quod ad finem se habet, et ei accommodum est, et sic finis est fruibilis non utilis.

In articulo quarto ostendit, quod uti directe, et proprie est post electionem, eo quod usus pertinet ad ipsam executionem, ut realiter exhibendam, non ut interius appetendam, et habendam, applicat enim potentias, et utitur eis ad exequendum. Per electionem autem nondum ponitur assensio in re, sed intus eligitur, post illam ergo sequitur usus. Large tamen loquendo de usu, aut etiam reflexe, ante electionem utitur voluntas intellectu ut proponat, et tractet de electione.

QUÆSTIO XVII.

DE ACTIBUS IMPERATIS A VOLUNTATE.

SUMMA LITTERÆ.

Tria tractat in hac quæstione D. Thomas per novem articulos. Primum est cujus sit imperare, scilicet ad quam potentiam, et ad quæ subjecta pertineat, inde enim maxime pendet notitia quidditatis imperii. Secundum

de habitudine, et ordine ejus, tam ad usum, quam ad actum imperatum, aliis duobus articulis. Tertium, qui actus sint imperabiles, per alios quinque articulos.

Igitur in articulo primo ostendit D. Thomas imperium formaliter exerceri in actu intellectus, licet præsupponat voluntatem efficaciter applicantem, eo quod imperium exercetur per intimationem, et denuntiationem rei imperatæ; ut videmus quotidie in præceptis, et sicut exterius fit per intimationem, ita interius per locutionem, seu dictamen, et ordinationem de faciendis: locutio autem, et dictamen ordinativum ad intellectum pertinent; et quia obligando efficaciter id fit, supponit voluntatem.

In articulo secundo ostendit imperium non inveniri in brutis, quia non agunt arbitrio et ordinatione, aut obligando et regendo, sed impetu et instinctu naturæ.

In articulo tertio ostendit, quomodo imperium se habeat ad usum. Nam si usus sumatur late, prout etiam invenitur ante electionem, præcedit imperium, quia imperium est post electionem. Si vero sumatur usus proprie pro executione, et executio ejus quod est ad finem, imperium antecedit usum, quia antecedit actum a se imperatum, usus autem cum operatione rei applicatæ conjunctus est, et hæc imperatur.

In articulo quarto ostendit, quomodo imperium dicatur unum cum actu imperato, et quomodo diversum: dicitur enim unum moraliter, id est, unum ordine, quia unum est propter aliud, et ordinatur ad idem, sed physice, et entitative plura, sicut partes illius moralitatis.

In quinque sequentibus articulis ostendit D. Thomas qui actus possint imperari, et subdi imperio rationis, qui non. Illi enim actus possunt imperari, qui sunt in nostra potestate, et arbitrio et quod a ratione persuaderi potest; quæ vero extra talem persuasionem, seu regimen, et potestatem sunt, non subduntur imperio. Et sic colligitur, quod actus voluntatis, et rationis, et appetitus sensitivi imperari possunt, quia regula rationis, et arbitrio reguntur, suntque in manu nostra, quamvis appetitus sensitivus aliquam resistantiam habeat, et non totaliter subdatur imperio, quia dependet a dispositione corporali, et ab ea concitari potest etiam nolente ratione, et displicente. Actus autem partis vegetativæ non possunt imperari, quia non possunt regulari, et persuaderi a ratione, eo quod non sequuntur ad apprehensionem, et appetitum animale, sed ad pure naturalem. Membra autem exteriora quantum ad id quod habent de motu locali, et ex sensu, et apprehensione moventur, subduntur imperio rationis. Quantum vero ad motum, qui fit per vires naturales, vel dependet ex aliqua alteratione caloris, vel frigoris, licet ex apprehensione concitetur, non subjacet imperio rationis, sicut patet in motibus genitalium.

DISPUTATIO VII.

DE USU ET IMPERIO.

ARTICULUS I.

Quid sit usus, et an distinguatur tam ipse, quam imperium a judicio de electione, vel ab ipsa electione?

I. Concurrere ad executionem realem eorum, quæ sunt facienda ad

assequendum finem, tam voluntatem, quam intellectum extra controversiam est. Nam voluntarie ista facimus applicando per voluntatem, vel potentias nostras, vel personas alias ad operandum. Similiter ordinamus, et denuntiamus quid, et quo ordine, et modo faciendum sit, non solum consiliando, et persuadendo, sed etiam obligando, et cogendo. Et illa applicatio voluntaria dicitur usus, quia voluntas utitur aliis potentiis, instrumentis, et rebus ad

suam operationem, quam vult exequi. Ordinatio vero, et denuntiatio coactiva et obligativa intellectus dicitur imperium, et præceptum. Quos actus, ipsa experientia dari manifestum est, cum quotidie eos cernamus. Qui vero actus sint, et quomodo inter se distinguantur valde occultum, et controversum est.

II. Pater Vazquez aliter circa illos sentit, quam communis sententia, quæ est D. Thomæ. Nam circa usum docet disp. XLVII, c. II, quod usus non est actus elicited, et procedens ab ipsa voluntate, sed solum est actus ipsius facultatis, qua utitur voluntas, quæ est facultas, externa, et mota a voluntate, sine alio actu ex parte voluntatis moventis, quam electio ipsa, qua exprimitur affectus ipsius voluntatis. Et sic usus active sumptus non distinguitur ab electione.

III. Circa imperium vero docet disp. XLIX, c. IV, illud quidem in vobis esse per modum expressionis desiderii, quod dirigitur a superiori ad inferiorem. Cæterum hoc imperium solum dari respectu alterius hominis, cui intimatur tale desiderium; non tamen in eodem homine respectu suarum operationum, quasi moveantur medio judicio intellectus; sed dicit has operationes imperatas quoad exercitium moveri ab ipsa voluntate; quoad specificationem autem, quod fit per manifestationem, et propositionem objecti, sufficere illud judicium de convenientia rei faciendæ et volendæ, quæ antecedit electionem, et dirigit illam; nec aliquid aliud requiri ad imperandum sibi. Et in idem fere convenit sententia pater Suarez, qui censet post actum voluntatis, quo aliquis vult efficaciter aliquid operari cum omnibus particularibus conditionibus, non requiri actum intellectus, qui immediate dirigatur ad potentiam exequentem, fere-

que ducitur eodem fundamento Vazquez, quia potentia exequens non percipit vim imperii. Ita explicat hanc sententiam Suarez lib. I de legibus, cap. IV, numero XI, citatque librum primum de prædestinatione, cap. LXVI et XVII, et tractatum IV de regione, lib. I, cap. III, aliaque loca. De hac vero sententia dicemus articulo sequenti, conclusione secunda.

IV. Præcipuum utriusque afferri fundamentum est idem, scilicet quia superfluit talis actus. Usus quidem ex parte voluntatis moventis superfluit præter electionem, et præter operationem facultatis motæ, et applicatæ ad operandum, quia in brutis præter affectum, quo appetitus aliquid appetit, non requiritur alius actus applicans potentiam exequentem ad opus; ergo neque in nobis posita electione alius actus voluntatis requiretur ad applicandum alias facultates. Quod enim in nobis sit indifferentia, et arbitrium quod non est in brutis, verum est; sed cum istud arbitrium, et ista indifferentia supponatur ablata per determinatam electionem, posita electione non requiritur alius actus determinans, et movens alias potentias, quia potentiæ inferiores, et subjectæ voluntati non minus obediunt voluntati jam determinatæ, quam in bruto appetitui volenti, licet homo propter libertatem possit ab amore cessare; ergo si non cesset, sed maneat ille affectus, et illa electio, non requiritur novus actus, ut illæ potentiæ applicentur, nec ut ipsæ obediant, et exequantur.

V. Quod vero superfluat imperium ex parte intellectus in ordine ad actus ipsiusmet personæ operantis, imperando scilicet aliis potentiis in eodem supposito, probat Vazquez, quia non requiritur hoc imperium ut moveantur aliæ potentiæ neque quantum ad exercitium, neque quoad specificationem. Non quoad exer-

citium, quia principium hujus motionis quoad exercitium est sola voluntas, non intellectus. Non quoad specificationem, quia ad hoc sufficit illud primum iudicium, quo regulatur electio, et quod ipsam electionem præcedit, per quod iudicatur de ipsa convenientia rei per inquisitionem, et consilium. Hoc enim iudicio stante, et non invariato, sufficiens motivum habetur quantum ad specificationem pro ipsa re exequenda, quia convenientia illa iudicata per consilium est eadem, quæ requiritur pro convenientia operationis exequendæ, et ipsius medii electi operandi. Nec requiritur iste actus imperii ad movendam ipsam voluntatem, aut alias potentias sensitivas, et non racionales, quia voluntas cum per se non cognoscat, non potest moveri per intimationem, et insinuationem imperii factam ab intellectu. Potentiæ autem sensitivæ non moventur immediate ab intellectu, sed mediante appetitu moto, et directo a phantasia, de quo eadem difficultas est, atque de voluntate, quomodo moveatur per intimationem, et insinuationem imperii denuntiantis, cum non cognoscat illud. Denique, nullus potest orare, et petere aliquid a se, ergo neque imperare sibi. Patet consequentia, quia sicut orare est subiecti, et inferioris, ita imperare est superioris; ergo si inter potentias ejusdem hominis non datur sufficiens inferioritas ad petendum, neque dabitur sufficiens superioritas ad imperandum. Et similiter nullus potest sibi imponere legem; ergo neque imperium, quia lex ad præceptum, et imperium pertinet.

VI. Sit nihilominus conclusio: Datur in voluntate usus, qui sit actus elicitus ab ipsa distinctus ab electione, active applicans alias potentias ad operandum, et sic distinguitur ab operatione potentiæ ap-

plicatæ, et motæ, sicut distinguitur applicatio ignis ab ejus calefactione. Datur etiam imperium, quod est actus distinctus a iudicio antecedente, et regulante electionem, quia imperium regulat executionem. Utraque pars affirmatur a D. Thoma circa istas duas quæstiones, et est communis apud ejus interpretes hic, et de usu id tenent doctores in 1, dist. 1. Et quod attinet ad D. Thomam clare colligitur ejus mens in primis, quia supra in titulo quæstionis XIII, dicit: « Quod agendum est de actibus voluntatis comparatione ad ea, quæ sunt ad finem, et sunt tres scilicet eligere, consentire, et uti. » Manifeste ergo distinguit actum utendi a reliquis; et loquitur de actibus elicitis, quia de imperatis non agit usque ad quæstionem XVII, ut patet ex titulo quæstionis. Deinde in ista quæstione XVI, art. 1, docet: « Usus esse actum voluntatis ut primo moventis, et aliarum potentiarum sicut exequentium, quæ comparantur ad voluntatem sicut instrumenta. Actio autem proprie non attribuitur instrumento, sed principali agenti. » Et sic concludit: « Quod uti proprie est actus voluntatis. » Hoc autem verificari non potest si usus solum sit operatio elicitæ a facultate, seu potentia mota a voluntate, quia tali potentiæ solum attribuitur usus ut instrumento: ergo aliquid ex parte principalis moventis debet assignari quod sit usus, et ab ea sit elicitus tamquam ab active movente. Unde quando dicit D. Thomas, quod usus est actus alicujus facultatis, sicut usus equi est equitare, non intelligit de eliciente, sed de applicante ad actum, quia ly equitare, non est actus elicitus ab equo, qui est applicatus, et motus, sed ab equite, qui est applicans, et movens.

VII. De imperio vero clarissime docet D. Thomas non solum dari

imperium erga alios, sed etiam erga se cum unus habitus, vel potentia imperat alteri. Dicit enim 2-2, quæst. LXXXIII, art. 1: « Quod ad rationem pertinet non solum imperare inferioribus potentiis et membris corporis, sed etiam hominibus et subjectis, quod quidem sit imperando. » Similiter D. Thomas distinguit prudentiam, qua aliquis regit se ipsum ab ea, quæ regit multitudinem, ut docet 2-2, quæst. XLVII, a. XI, et quæst. XLVIII, articulo unico, et tamen præcipuus actus prudentiæ est imperare, ut docet eadem secunda secundæ, quæstione XLVII, art. VIII. Ergo sicut datur prudentiam non solum erga alterum, sed etiam erga se, similiter datur imperium erga se, et non solum erga alterum. Et ut docet ibidem sanctus doctor, hoc imperium distinguitur a consilio, et iudicio, qui sunt actus minus principales prudentiæ, et a quibus regulatur electio, ut mox dicemus.

Ratio autem conclusionis, quoad utramque partem sumitur ex eodem fundamento, quia in executione nova, major difficultas se offert, quam in sola electione interiori; ergo indiget voluntas nova efficacia, et conatu applicante potentias ad exequendum, et intellectus majori cura, attentione, et ordinatione, quam pro sola electione interna. Et illa applicatio ad exequendum vocatur usus, et ista ordinatio, imperium. Antecedens ipsa experientia constat: multos enim videmus facillime iudicare, consiliari, et eligere, seu determinare se interius, qui postea in executione deficiunt, sicut Divus Petrus eligebat mori pro Christo, et iudicabat se posse facere id quod proponebat, et tamen in executione omnino defecit. Etenim eligere est actus mere internus, in quo voluntas solum certat secum, nec habet aliud impedimentum quam velle, si objectum sit cognitum, et ita solum

mutando ipsum velle potest eligere, et elicere oppositum actum. In exequendo autem non solum certat secum, sed cum aliis, tum potentiis, tum subjectis, in quo mille difficultates se offerunt, tum in labore potentiarum, et facultatum, aut resistentia appetitus, tum in impedimentis externis. Unde ad hoc ponitur specialis virtus constantiæ, et perseverantiæ ad superandas difficultates, et frangentia extrinseca, ut docet D. Thomas 2-2, quæst. CXXXVII, art. III et IV: « Quia plerumque, inquit, cadit in nostra potestate electio, sed non executio. » Ergo præter actum electionis indiget voluntas nova efficacia, et conatu pro executione, novaque constantia, et applicatione, et hæc applicatio activa est usus.

VIII. Nec sufficit pro hac sola operatio facultatis externæ, quæ applicatur, et movetur, hæc enim non exit in talem operationem, nisi ex vi voluntatis moventis, et volentis, si quidem voluntarie applicatur, et movetur ad operandum præsertim quia plerumque deficeret ab operatione facultas externa, recusaretque illud exercitium, nisi pondus voluntatis instaret, ut quando corpus exponitur periculo, potentiæque, et facultates laborant, et tamen ob instantiam voluntatis, et amoris operantur, et non desistunt. Ergo aliquid præter earum operationem est, quod tales potentias non solum applicat, sed urget, et instat ex parte voluntatis. Datur ergo activa applicatio, seu usus voluntatis distinctus ab operatione facultatis motæ, et applicatæ, quo tales facultates voluntarie applicantur, et operantur, quod alias sine voluntate recusarent.

IX. Ex eodem fundamento colligitur indigere novo iudicio, et ordinatione intellectus ad exequendum, quæ dicitur imperium, quia